

De figuris lapidum, &c.

Quercus.  
Buxi.

tuminis glebæ satis duræ, diuersorū  
colorum, quæ accensæ ardent, sed nō  
suauis odore. His adnascuntur arbu-  
sculæ pallidæ, & quæ pisces olent: Quer-  
cus scilicet atque Buxi: altæ tres, aut  
summum quatuor palmos. Carent ve-  
rò radicibus, & sicut Patellæ, λεπάδες  
vocant Græci, ad glebas adhærēt. Ta-  
les esse vidētur lapides, quibus in ma-  
ri, vt Theophrastus scribit, adnascun-  
tur Quercus, & Abietes. tametsi ille  
eadem ostreorum testis dicit adna-  
sci, Agricola libr. 4. de nat. fossilium.  
Germanicè autem interpretatur, flei-  
ne Meerböumle, id est, arbusculas par-  
uas marinas. Et eiusdem operis li-  
bro 7. Cum natura (inquit) lapides ar-  
borum similes procreet, diligenter vi-  
dendum est an corticem & medullā  
aliaquæ habeant. quæ si absunt, non sti-  
pites in lapides conuersi sunt, sed na-  
tura fecit lapides stipitum simillimos,  
quales sunt trabes istæ Hildesheimiæ,  
&c. paulò antè autem dixerat in tra-  
ctu